

ius pars est, falsitatem probare, ex superioribus liquet. Quæ enim religio Deo sanctitatem & ipsam adeo divinam naturam detrahit, ea hoc ipso originem suam Deo non deberi manifestat. Neque ergo illa religio inquisitione & explicatione causarum salutis omnia ad Deum referre potest, ut primam causam, quæ ex Deo facit non Deum. Dum propter Christi meritum fide finali apprehensum negat Deum salvandos decrevisse salvare, Christum salutis causam meritoriam esse negat. Gratiæ divinæ certitudinem nulli in individuo ostendere potest, quæ odium Dei pro gratia exhibet. Quæ gloria attributorum divinorum & naturæ divinæ Deum privat, ad laudem gloriæ divinæ referre nihil potest. Concludat jam contra se Røellius, quia religio, quæ absolutum Electionis decretum proponit exosculandum, ita agit, quod illa sacrilega religio sit.

SECTIO III.

§. I.

Nunc ad Argumenta accedimus discutienda, quibus à Paulo doctrinam de absoluta Electione tradi, Comment. p. 627. seq. confirmare conatur Røellius, atq; sic eadem enumerat.

I. Dum gratiam illis, & pacem [Paulus] apprecatur à Deo, Patre ipsorum, & Domino Jesu Christo: clare innuit, à divina, gratia, hoc est, immerito Patris & Filii favore, & liberrimo præter & contra meritum salvandi proposito, pacem & communionem cum Deo, omniaq; ad salutem necessaria petenda atq; expectanda esse. Hanc enim esse in Scriptura veram gratiæ significationem, supra abunde evicimus.

Resp. Gratia Dei ita est causa impulsiva interna Electionis, ut illa non excludat causam impulsivam externam meritum fide apprehensum, nisi, qui causa impulsiva interna justificationis & salvationis est Dei gratia, excludatur à causa impulsiva externa justificationis & salvationis Christi meritum fide apprehensum sive fides in Christum,